

## **I**nítium Sancti Evangélii secundum Joánnem

**I**n princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in princípio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est: in ipso vita erat, et vita erat lux hóminum: et lux in ténebris lucet, et ténebræ eam non comprehendérunt.

Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes. Hic venit in testimónium, ut testimónium perhiberet de lúmine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimónium perhiberet de lúmine.

Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognóvit. In própria venit, et sui eum non recepérunt. Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt. *Genuflectit dicens*

**ET VERBUM CARO FACTUM EST,**

*et surgens prosequitur*

et habitávit in nobis: et vidimus glóriam ejus, glóriam quasi Unigéniti a Patre, plenum grátiae et veritátis.

**D**eus, qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti: da nobis per hujus aquæ et vini mysterium, ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est participis, Jesus Christus Filius tuus, Dominus noster: qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

**L**avabo inter innocentes manus meas: et circumdabo altare tuum, Domine:

Ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua.

Domine, dilexi decorem domus tuæ et locum habitationis gloriæ tuæ.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam:

In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, et miserere mei.

Pes meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te, Domine.

Gloria Patri et Filio, et Spiritui Sancto, sicut erat in principio et nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

**C**orpus tuum, Domine, quod sumpsi, et Sanguis quem potavi, adhæreat visceribus meis: et præsta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura at sancta refecerunt sacramenta: Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.